



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 64. Maurorum clades; Oranum a Christianis occupatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A. C. 1509.

§. LXIV.

Maurorum clades; Oranum a Christianis occupatum.

Itaque Hispani dejectis Orani signis, eorum loco S. Crucis vexillum Hispaniæ insignibus ornatum mœnibus infigunt; eo conspecto Christianorum exercitus novo ardore concepto usque ad quemdam locum aquæ ductui haud absimilem progreditur, ibi castra positurus. Mox vero ibidem prælium instauratur, atque Hispani e tormentis suis tam densum globorum imbrem in Mauros emittunt, ut ii relictis omnibus, quas occupaverant, stationibus in præcipitem, eamque tumultuariam fugam agerentur, Christiani vero tam prospero successu excitati fugitivis instant, ingentique ardore insequuntur; cumque Orani portæ essent occlusæ, victores victique, Christiani infidelibus immixti turbatis utrinque ordinibus implicabantur; deinde Mauri in urbe relictæ, comperto tumultu, erumpunt, & Hispanorum copias a tergo adoriuntur; unde ad eam prælii necessitatem deventum, ut neglecto fugientes insequendi studio, Hispani propriæ salutis prospicere compellerentur. Nec tamen Christiani propterea animos despon-

Gomes. in
vita Ximientis
lib. 4.
Marian.
n. 79
Raynal. d. ib.

Secul. XVI.
A.C. 1509. bant, sed restauratis ordinibus Maurorum impetus incredibili fortitudine sustinuerunt, cum interea unum Hispanorum agmen cum hoste manus confereret, aliud vero admotis undique scalis Orani muros conscenderet. Ceterum Mauri haud segniores ad sua accurrebant munimenta, ut Christianorum impetus eluderent, eorumque conatus penitus everterent.

§. LXV.

Oranum vi captum.

Gomez. l. c.
Marian. ib.

Verum fervente utrinque pugna, acquis vim vi repellere intento, deridente mille equites totis viribus de colle prorumpunt, ingentique impetu in Maurorum equitatum irruunt. Hi praelium undique instare non sine stupore animadvertentes, hostiumque suorum numerum longe majorem, quam reipsa esset, rati, animos despondent, terrereque ad ipsa peditum agmina diffuso, una omnes fugam arripiunt, equitatus quidem laxis omnino habenis affugiebat; pedites vero, cum horum auxilio destituti sese recipere molirentur, pavore confusionem augente, ruptis ordinibus undique dispergebantur, Hispanis tanta caedis aviditate Maurorum audaciam plestentibus, ut praelii locus quinque occisorum millibus stratus